Digitized by Google

11

QUÆSTIO THEOLOGICA
DE
REGULIS FIDEI,

QUAM

Pro prima ad gradum Doctoralem reſponſione

DEFENDIT

Lovanii Anno 1617. die 9. Octobris

CORNELIUS JANSENIUS

LEERDAMENSIS,

DEIN

IPRENSIUM EPISCOPUS:

IN QUA ASSERITUR

Summi Pontificis infallibilitas, ejuſque ſupra Concilium Generale authoritas.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE REGULIS FIDEI QUÆSTIO THEOLOGICA,

Quæ ſint Regulæ Fidei ?

PROPOSITIONES.

Et non poteſt ſolvi Scriptura. Joan. 10.
Tenete traditiones quas accepiſtis, &c. 2. Theſſ. 2.
Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Matt. 16
Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis. Act. 15.
Eccleſia Dei vivi columna & firmamentum veritatis. 1. ad Timot. 3.

CONCLUSIO PRIMA.

REgula noſtræ Fidei eſt verbum Dei, quod tamen externas regulas non excludit. Hoc verbum partim ſcriptum eſt, partim traditum; æquali utrumque veneratione proſequendum. Scriptum, aliud Veteris, aliud Novi Teſtamenti, paris auctoritatis, imparis excellentiæ. Vario idiomate originaliter conditum eſt, Hebræo, Chal-

dæo, Syro, Græco, Latino. Hebraica editio integra eſt nonnullis Typographorum erroribus oblita. Chaldaicæ pondus detrahunt inſerta anicularum deliria, Syriacæ novitas, Græcæ, errores, qui in ſeptuaginta Interpretes irrepſerunt. Inter Latinas præſtat Vulgata, ſeculorum uſu, & Synodi Tridentinæ auctoritate recepta: quæ quos libros Canonicos agnoſcit, agnoſco; etiam Eſther, Judith, Tobiam, Sapientiam, Eccleſiaſticum, Baruch, totum Danielem, Machabæos, Epiſtolam ad Hebræos, Apocalypſim. Traditio eſt illud, quod dixi, verbum non ſcriptum. Hoc neceſſarium eſt, ne & ſcriptum evaneſcat. Æquali ſunt ergo pondere, honore, robore, non neceſſitate vel tempore, cùm traditum longè præceſſerit: & hoc faciliùs ſine illo, quàm illud ſine hoc poſſit conſiſtere, & ab injuriis ſe tueri.

SECUNDA.

Externæ regulæ ſunt, Romanus Pontifex, Concilia, Eccleſia. Chriſtus itaque Dominus viſibilem

ſuam præſentiam militanti Eccleſiæ ſubtracturus, viſibile ei caput, ſuum Vicarium Pontificem, Apoſtolorum verticem B. Petrum conſtituit, cui omnes omnium Nationum fideles, Plebei, Principes, Laici, Eccleſiaſtici, ipſique Apoſtoli ſubjicerentur. Hujus verus ac legitimus Succeſſor Romanus eſt Pontifex. Poteſtatem ejus in temporalia directam nullam agnoſcimus, indirectam fatemur. Utraque tamen in perſonam Pontificis poteſt concurrere. Supremus eſt omnium de religione controverſiarum Judex: cujus judicium rectum, verum, & infallibile eſt, cùm univerſæ Eccleſiæ aliquid ſub Anathemate tenendum eſſe definit. An ut privata perſona labi poſſit in Hæreſim, nec ne, eſto problema.

TERTIA.

Concilium eſt Epiſcoporum ad emolumentum Eccleſiæ legitima congregatio. Unde eſt id in Eccleſia, quod in regnis comitia. Aliud eſt Generale, aliud Nationale, aliud Provinciale. Hæc duo ſæpe neceſſaria, ra-

riùs primum : quod à ſolo Romano Pontifice legitimè indici poteſt, non Imperatore, non Rege, non Patriarcha. Numero non definitur, ſed ſufficit, ut ex præcipuis regionibus ubi viget religio, aliqui, excommunicatis excluſis, conveniant. Deciſivum judicium ordinario jure ſoli habent Epiſcopi. Provinciale ab Archi-epiſcopo indicitur, Nationale à Primate. Omnibus Conciliis commune eſt, ut eorum decreta, non tantùm inquiſitionis formam, ſed judicii robur obtineant, ita ut ſine piaculo diſcedere inde non liceat. Similiter omnibus convenit errare non poſſe, nec unquam erraſſe, poſtquam ſummi Præſulis confirmatio acceſſiſſet.

QUARTA.

ECcleſia ab Irenæo rectiſſimè, ac adæquatè definitur eſſe Cœtus fidelium: ſive boni ſint, ſive mali. Ab ea Pagani, Turcæ, Judæi, Apoſtatæ, Hæretici, Schiſmatici, Excommunicati, Catechumeni alieni ſunt. Unica eſt; extra quam nulla ſalus, certiſſimum exitium. Quare ut Pharos

in Mari fluctuantibus & jactatis, non modò viſibilis, & conſpicua eſt, ſed etiam expers defectus, ſenii & ruinæ. Lux eſt mundi, mons in vertice montium : cæcus ergo, qui hanc non videt, improbus qui mavult in montem offendere, quàm aſcendere. Perfacilè à Sathanæ ſynagogis diſcernitur; ſuis enim characteribus lucet, quod Una, Sancta, Catholica, Apoſtolica. Qui verò ex verbi prædicatione & Sacramentorum adminiſtratione eam vult noſcere, inexplicabili labyrintho ſe involvit, & verè inviſibilem, & inveſtigabilem quærit Eccleſiam.

Pro prima ſua ad Magiſterium in S. Theologia reſponſione

DEFENDET

CORNELIUS JANSENIUS LEERDAMENSIS.

Lovanii 9. Octobris 1617.